

Munding, Heinz: „Hesiods Erga in ihrem Verhältnis zur Ilias. Ein Vergleich und seine Folgerungen für die Entstehung der Gedichte.“ Frankfurt am Main 1959 (Klostermann).

(Zu vergleichen ist dazu noch die Diskussion über die Ode III 2 in: MDAV 2/1990, MDAV 3/1992 und MDAV 4/1992.)

Anmerkungen

1) S. Munding, S. 110-150. (Besonders gewürdigt hat diesen Abschnitt Paul Chantraine in seiner Rezension meines Buches; vgl. REVUE DE PHILOGIE, DE LITTE-

RATURE ET D'HISTOIRE ANCIENNES, ANNEE 1961, TOME XXXV, FASCICULE 1, S. 132f.)

2) Dies spiegelt sich schon früh in einem von Lohmann zitierten Pindar-Fragment, das zugleich stark an die *hesiodische* Bewertung der Kriegs-Eris erinnert: „Süß aber ist der Krieg für die, die ihn nicht kennen; doch wer ihn kennt, den schaudert's, wenn er naht, im Herzen über alle Maßen.“ (Vgl. Lohmann S. 17 mit der Anmerkung 36.)

3) Vgl. III 1, 4: *virginibus puerisque canto*.

HEINZ MUNDING, Schwegenheim

Quo modo animus classicus, qui dicitur, Horati carminibus amatoriis manifestetur, quaeritur

Horati sententia homo affectu amoris in peius mutatur ac quodam modo introrsum deletur. Ita poeta in carmine octavo primi odarum libri a Lydia quaerit, cur Sybarin, puerum, qui eam amat, *amando perdere* properet (vv. 2-3), scilicet vehementer operam det, ut ei exitio sit. Sybaris enim amore Lydiae incensus exercitationes corporis et labores militares, viri proprios, deserit, in quibus ante omne studium collocavit et eo magnam gloriam consecutus est. Nunc autem puer ab amicis remotus *latet* (v. 13), fortasse solus una cum Lydia aut totus solus asperitate mulieris vexatus. Si ita est, Sybaris cum Propertio comparari potest, qui in elegia duodevicesima libri primi solus querelas silvis dicit (vv. 29-31).

In carmine vicesimo septimo libri primi pro verbo transitivo perdendi poeta undecimo versu verbo intransitivo pereundi utitur quaerens, *qua pereat sagitta*, scilicet Cupidinis, quidam amans. Amore igitur puer perit, quia puella amata eum amore suo perdit.

Si puella amata potenter amores spirat, scilicet sensus amoris tali vi in animam amantis inspirat, ut eum flamma amoris incendat, is sibi se ipse demit vel tollit, id est, non iam sui ipsius est, identitatem, ut ita dicam, amittit. Nam toto animo in puellam amatam se transtulit. Propterea Horatius versibus undevicesimo et vicesimo carminis tertii decimi libri quarti Lycen olim amatam eam fuisse affirmat, *quae spirabat amores, | quae me surpuerat mihi*.

In carmine tricesimo tertio libri primi Horatius Albium, scilicet Tibullum poetam, exhortatur, ne *inmitis Glycerae plus nimio* memor doleat neu

miserabiles elegos decantet (vv. 1-3). Hyperbola *plus nimio* pro plus aequo usus poeta noster classicus ab elegiaco dissentit, qui nimis vehementer amans immoderatione dolenter effertur, quia puella ei *iuniolem laesa fide* praefert (vv. 3-4). Dolores, quibus amantes afficiuntur, a Venere, crudeli dea amoris, manant. Cui placet, ut Horatius ibi declarat, *inparis | formas atque animos sub iuga aenea | saevo mittere cum ioco* (vv. 10-12), id est, per ludibrium corpora et animos, qui impari dignitate sint, amore haud mutuo inflammare.¹ Horatium ipsum *Myrtale libertina*, quamquam eum aspernabatur, *grata detinuit compede* (v. 14), quamvis eum *melior Venus*, scilicet puella meliore animo praedita, peteret. Strophis secunda et tertia alia exempla amoris imparis afferuntur. *Lycorida enim Cyri torret amor* (vv. 5-6), sed *Cyrus in asperam declinat Pholoen*. Pholoen autem Cyrum repellit, quia turpis adulter est.

Natura amoris definita nunc Horati carmina amatoria maioris momenti exponemus et explicabimus.

In epodo undecimo poeta cum amico Pettio de Inachiae infidelitate et aviditate queritur, quae ei aemulum divitem praetulit. Amico adnuntiaverat se ira motum de Inachia cum aemulo certare cessaturum esse. Tamen postea, ut amans elegiacus, ad *dura limina* crudelis puellae redierat. Nunc in locum Inachiae amorem Lycisci pueri successisse, a quo se liberare non possit nisi *alius ardor aut puellae candidae | aut teretis*, id est formosi, pueri ... (vv. 27-28).

In epodo decimo quinto Neaera Horatio per iura promisit, immo *iurabat* (v. 4), amorem suum

mutuum fore (v. 10). Poeta autem, *siquid viri* (v. 12), videlicet, si vera virtus, sibi sit, iratum se puellam *parem* petere declarat. Non enim patietur Neaeram aemulum habere *potiorem* (v. 13), scilicet talem, cui maior potentia in puellas sit. Ita constantiam suam formae Neerae, id est pulchritudini eius, non cessuram. Ira virtutem suscitare vult, rursus virtutem constantia actuosam mansuram. Horatius igitur virtute sua nitens a Neera discedere animo intendit. Non dubitat, quin aemulus, nunc superbus, ipse quoque mox maereat *amores* Neerae in alium *translatos* esse. Animadvertendum est autem Horatium nihil aliud facere nisi minari se a Neera discessurum esse. Utitur enim tempore futuro in verbis adhibendis (*dolitura, non feret, quaeret, cadet*), cum de dissidio Neerae loquitur.

Utriusque epodi hoc proprium est, ut Horatius in eis virtutis causa ab Inachia et Neera se liberare velit. Tamen in fine carminum vera causa disidii revelatur, quod amoribus antiquis novi lege naturae succedunt. Amores igitur naturaliter exhauriuntur. In epodo undecimo id Horatio ipsi, in epodo decimo quinto Neerae contingit. Hae commutationes amorum quasi fato, necessitate coactae, eveniunt. Ita Neera antea Horatium amavit, deinde alium ex alio amat. In epodo autem undecimo Horatius Inachiam amavit, nunc Lyciscum amat, postea alium aut aliam amabit. Amores desinunt, non quia amans amare pergere malum esse aestimat, sed, ut diximus, quia flamma amoris post certum spatium temporis sponte exstinguitur.

Ad carmen tertium decimum libri primi nunc transeo. In nonnullis codicibus id breviter his verbis comprehensum legimus: „Alloquitur Lydiam meretricem atque tormento esse, cum ea Telephi formam laudat.“ Poeta enim ira inexplebili ardet audiens puerum a Lydia laudari. Post animi et corporis commotionem describit invidia in se suscitatum. Hac commotione amor ostenditur, qui eum *lentis ignibus* torret. Deinde poeta puellam a Telepho avertere conatur eam monens puerum non perpetuo furore amoris commotum fore. Aliquando certe ab ea discessurum esse. Tum eos felices praedicat, qui non *divolsi malis queremoniis* vinculo amoris indissolubili tenentur. Hoc igitur vinculum sempiternum amorem

perfectum esse poeta persuasum habet.² Sunt autem, qui opinentur hoc modo poetam se ipsum Lydiae commendare amatorem fidelissimum, quocum totam vitam feliciter degere possit.³ Sed ita perperam minuitur laus perfecti amoris, quae oda nostra continetur. Nullo indicio talis opinio probatur. Oportet igitur agnoscere Horatium hic tormento amatorio non impediri, ne aequum animum assequatur, quo fit, ut perfectum amorem praedicet, etiamsi ipse felicitate illius amoris carere debet. Ita a rebus singularibus ad universas ascendens poeta noster animum classicum, ut ita dicam, manifestet, quo etiam in poesi amatoriae praeditus est.

In carmine non libri tertii, quod est celeberrimus cantus amoebaeus perfecta concinnitate excellens, Horatius et Lydia alternis vicibus singulis strophis amores suos canunt. Prima stropha poeta recordatur, quam beate vixerit, cum Lydia nondum se aemulo potiori deditisset. Secunda stropha puella tempus actum celebrat, quo nondum Chloae posthabita honorata erat plus quam Iliia, progenetrix Romanorum. Tertia et quarta stropha alter cum altera sermocinantes felicem amorem, quo nunc ardent, Horatius amorem Chloes, Lydia Calaidis, laudant. Exclamant se pro amatis mori non dubitare. Quam exacte binae strophae sibi respondeant, verbis et enuntiatis, quibus eadem vel similia argumenta continentur, clare ostenditur. Prima enim et secunda stropha incipiunt a coniunctione *donec* et comparativis *beatior* et *clarior* (vv. 4- et 8) desinunt. Tertia et quarta stropha initio verba *me ... Chloe regit et me torret ... Calais*, paenultimis versibus verba *pro qua non metuum mori* et *pro quo bis patiar mori* sibi respondent. Prima et ultima verba, *pro et mori*, vel eadem sunt. Ultimi versus harum stropharum verbo *puero* pro verbo *animae* substituto paene toti iidem sunt. Duabus ultimis strophis laus temporis acti et praesentis, quae strophis praecedentibus continetur, cessat. Nunc enim in fine carminis Horatius protasi duplici a *si* incipiente, quam alia protasis *si parcent ... praecedit*, usus in enuntiato *quid si prisca redit Venus ...?* Lydia proponit, ut ad antiquum amorem, qui iam interiisse videbatur, redeant. Si id evenerit, fore, ut ianua sua Lydiae antea a se reiectae denuo pateat. Lydia ultima stropha

expectatione huius reditus erecta poetae adsentitur affirmans se, etiamsi aemulus pulcherrimus, poeta autem valde improbus et iracundus sit, cum eo et vivere et mori libenter velle. Ita primus amor etiam supremus erit. Amor perfectus, quia semper in fine carminis tertii decimi libri primi in universum praedicatus, hic, in fine carminis non libri tertii, si prisca Venus redierit, singularis, ut ita dicam, fiet, quia singulos, Horatium et Lydiam, attinget.

Twoe carminis partes notione mortis coniunguntur. Mori enim pro altero vel, melius, in locum alterius, mutatur in vitam et mortem communem. Ita id, quod non esse videbatur nisi iocus delicatus, vehemens cupiditas esse apparet, etsi genere dicendi temperatur. Praeterea ultimis verbis a Lydia dictis natura amoris veri declaratur. Quisquis enim vere amat, etiam vitia amati ferre paratus est, quia praecipue rationem amati ipsius, non singularum eius qualitatum, habet.

Ut melius intellegamus, quid inter amantes carmine nostro acciderit, haec addenda sunt. Olim perfectus et plene mutuus amor poetam cum Lydia coniunxit.

Postea autem amantes amores alio, Lydia in Calaidim, Horatius in Chloen, transtulerunt. Horatius Lydiae Chloen praetulisse videtur, quia haec, ut poeta affirmat, *dulcis docta modos et citharae sciens* (v. 10), Chloe Calaidim quam Horatium maluisse, quia, ut ipsa confitetur (v. 21), puer *sidere pulchrior* erat. Sed causa prima amorum novorum in Venere, dea amoris, ipsa posita est. Ea enim ita amantes antea diduxit, ut postea *diductos* poetae ipsius iudicio *iugo cogit aeneo* (v. 18), si *prisca Venus*, scilicet antiquus amor, *redit* (v. 17). Ex his versibus intellegitur Venerem sensum amoris eandemque deam amoris esse, quae amantes separat et iungit.

Etiamsi Lydia pro Calaide mori vult (v. 15), tamen animo sincero se cum poeta vivere atque obire velle declarat.⁴ Nam felicitatem suam futuram, si denuo cum Horatio coniuncta sit, multo maiorem fore quam amorem praesentem erga puerum persuasum habet. Ita poeta tum beatissimus erit, ut antea fuit, cum Lydiae *gratus* erat (vv. 1-4).

Classicum, ut ita dicam, etiam carmen quintum libri primi spirat. Hic autem poeta ipse amore



HEUREKA !

Altgriechisch für Liebhaber

(Subskription)

Griechisch für Nichtgriechen, eine Einführung zum Selbststudium, geeignet für Lehrer, Gymnasiasten und Liebhaber.

Liebe Kolleginnen und Kollegen,

Das hier vorzustellende Buch ist aus einer Maturarbeit zweier sehr guter Griechischschüler entstanden. Idee und Gerüst basieren auf meiner jahrelangen Praxis, auch den Lateinschülern einen Überblick über die griechische Sprache und Kultur zu vermitteln.

Inhalt: Überblick über die griechische Kulturgeschichte, Einführung in die Schrift, 150 wichtige Begriffe, Wortbildung, acht Anfängerlektionen, "zentrale Sätze und Abschnitte", unser alltägliches Griechisch, neugriechische Sprache, Kurzgrammatik.

Es ist eine praktikable Einleitung, mit vernünftigem Aufwand zu meistern. Wer mehr will, greift zu Fink...

Lateinlehrkräfte können ohne grossen Aufwand ihren Schülern eine neue Welt vermitteln, von der die römische geprägt ist.

Hans Widmer, CH-Biberstein

150 S. A4, reich und farbig illustriert. **Subskr.-Preis E 15.-** (statt E 17.50), 20 % Rabatt ab 10 Ex.

Subskription bis 31. Oktober 2003, Auslieferung ab Ende Oktober 2003.

Bestellung: hans.widmer@swissonline.ch / www.odysseus-verlag.ch /Tf.+Fax: 0041 62 827 12 27

non vel non iam implicatur. Narrat enim puerum quendam gracilem puellam, quae Pyrrha appellatur, urgere, scilicet ad amandum inducere vehementer conari. Pyrrha pulchritudine tota splendet. Flava eius coma, aurea, ut χρυσή Ἀφροδίτη, vocatur, nitere dicitur. Sed puer, nimis credulus, ignorat se aliquando emiraturum esse *aequora nigris ventis aspera*. Hac metaphora ostenditur, quam perfida asperitate Pyrrha praedita sit. Felix tempus praesens puero imperito in infelicitatem futuram mutabitur. Numero plurali *miseri* post caesuram ultimi versus strophae tertiae posito poeta a *gracili puero* nunc Pyrrham amante ad rem, quae omnibus impendit, qui inexpertes hanc mulierem amant, transit. Ultima stropha Horatius declarat se e naufragio amoris feliciter evasisse. Verbis contrapositis *miseri* et *me* (v. 13) consideratis inducimur, ut putemus poetam e periculo elapsum esse, in quod Pyrrha eum adduxisset, etsi metaphora adhibetur, qua res universi indicatur. Legitur enim *me ... suspendisse potenti | vestimenta maris deo*, scilicet Neptuno (vv. 14-16). Maioris momenti est animadvertere Horatium casum suum periculosum tranquillo animo intueri, quasi eo non iam commoveatur vel eum non re vera expertus sit. Ita res sentimus, quia poeta non de naufragio amoris ipso loquitur, sed de voto, quod a periculo servatus solvit.

Nunc ad Horatiani amoris tempus ultimum tractandum transeo. In carmine undevicesimo libri primi Venus, *mater saeva Cupidinum* appellata, poetam animum amoribus reddere iubet, quos iam finitos esse putavit. Oxymoris verbis efficaciter usus Horatius asseverat Glycerae *gratam protervitatem et nitorem* se urere. Quod puella eum tam vehementer allicit, Veneris impulsu fit. Dea enim amoris Cyprum, ubi a temporibus antiquissimis colebatur, tota in eum ruens deseruit. Venus poetam argumenta ad rem publicam pertinentia dicere non patitur. Non sinit eum nisi argumenta amatoria canere. Horatius a permagna Veneris vi se subtrahere conatur. Hostia enim immolata sperat deam leniorem vel mitiorem venturam esse. Senior factus timet, ne eius violentia pereat.

Carminum tricesimo libri primi, etsi ad carmen undevicesimum prope accedit, tamen res penitus mutatae sunt. Cum in hoc carmine Venus sponte

Cyprum deserens in Horatium ruat et poeta, ut adventus deae lenior sit, operam det, contra in carmine tricesimo poeta eam, ut dilectam Cyprum spernat, exhortatur. Dea enim libenter eo manere videtur. Glyceria, cum antea nihil aliud fecerit nisi pulchritudine cupiditatem poetae suscitaverit, nunc amore suo amori Horati respondet. Nam ea quoque Venerem vocat, ut in domum suam, *decoram aedem* appellatam, se transferat.⁵ Domus igitur Glyceriae aedes facta esse videtur, in qua dea apte, quasi templum sit, accipiatur ac veneretur. His dictis intellegimus poetam se ipsum et Glyceram amantes perfectos ostendere, qui sacra amoris digne facere cupiant.

Cum in carmine undevicesimo libri primi Venus tantum deseruisse Cyprum dicatur et non indicetur nisi eam in Horatium ruere, oda tricesima expressis verbis ea invitatur, ut a Cypro ad aedem sibi a Glyceria paratam properet. Magna moderatione usus poeta ne leviter quidem significat desiderium suum se cum puella iungendi. Eius non interest nisi Venerem vocare, ut veniat. Amor igitur hic cultus quidam est, qui deae amoris tribuitur. Propterea Horatius diligenter vitat, ne singula persequatur, quae ad corporis voluptates pertinent.

In prima stropha carminis primi libri quarti poeta a Venere quaerit, num denuo sibi *bella* moveat iam *diu intermissa*. Ei supplicat, ut sibi parcat. In stropha secunda invocationem distinctius designat. Deam rogat, ut cesset eum iam *durum*, iam fere quinquagenarium, *imperiis mollibus*, scilicet ad amores pertinentibus, *flectere*. Abeat eo, quo iuvenes eam revocent. Si cor petat idoneum, quod amore torreatur, comissetur, id est, iocoso comitatu se conferat, in domum Pauli Maximi, iuvenis nobilis, pulchri, boni. Hunc, postquam aemulum vicerit, deae statuam erecturum, ad verbum eam *marmoream* positurum esse. Paulum Venerem delectaturum cantibus, saltationibus, plurimo ture. Ita animum Veneris laetitia affectum iri. Ea igitur apud Horatium non est notio tantum sensus amoris specie visibilis deae induta, sed figura, qua sensibus accipitur potentia amoris in universitate rerum vigens.

Deinde in eodem carmine Horatius exactius describens statum suum, de quo initio locutus est, confitetur iam se *nec feminam nec puerum*

nec spem credulam animi mutui iuvare. Non iam credit se amore sincero frui posse, id, quod maxime semper desiderabat. Tum a Ligurino puero quaerit, cur rara lacrima per genas suas manet, cur facunda lingua inter verba, id est, medio in colloquio, *silentio parum decoro* cadat.⁶ A Ligurino id quaerit, quia is minime ignorat poetam amore suo incensum esse. Res descriptae certe sunt indicia commotionis amatoriae. Tamen Horatius non petit, ut re vera puerum amatum capiat. Ligurinum enim alloquens, quasi is adsit, exclamat: Te nocturnis somniis insequor et captum teneo. His verbis desistere videtur puerum vere capere. Non iam ei tempus est hoc faciendi (cf. *tempestivius*, v. 9). Modum et decus servans et hic Horatius virum classicum se praestat.

In hoc carmine poeta, ut diximus, in somniis tantum, non re, Ligurinum, puerum amatum, sequitur. Mentis compotem id facere eum pudet. Etiam minime sperat amorem mutuum fore. Ligurinum petere aetatis causa non iam sibi convenire putat.⁷ Contra carmine decimo eiusdem libri hunc scrupulum ex animo evellit, quia vis amoris multo vehementior facta est. Propterea iam initio puerum crudelem, non solum durum, ut antea, vocat. Cru- delis autem est. Nam superbe poetam repudiat. Nihilo minus Horatius Ligurinum nunc sibi conciliare cupit. Itaque praedicat eum, non iam puerum delicatum, sed adulescentem facie hispida foedum factum, questurum esse, quod tum amans viros non iam allicere valeat. Poeta sperat puerum hanc admonitionem secum considerantem se amori ipsius dediturum esse. Ita in Horatio decor ardori cedit. Sed spes ei mox deponenda erit. *Mens* (v. 7) enim pueri nunc est superba. Ratione futuri habita vix mutari poterit.⁸

Spiritus classicus, quo animatus Horatius carmen primum libri quarti composuit, etiam partium convenientia apparet. Ita id a duabus strophis incipit, quibus amor novus recusatur. Medio loco quinque strophae collocatae sunt, quae ad Paulum Maximum, amantem potentissimum, immo insuperabilem, spectant. In fine tres strophae inveniuntur, quibus primum poeta post initium carminis iterum se ad amorem non iam aptum esse declarat, deinde autem animi concitationem a Ligurino suscitatum confitetur. Quinque igitur strophis, quarum duae in initio, tres autem in fine positae sunt, ad

poetam ipsum pertinentibus quinque strophae in medio carmine collocatae includuntur, quae ad Paulum Maximum spectant.⁹

Carmen undecimum libri quarti ultimum explicandum est. Tribus strophis (A1), a quibus incipit, Horatius Phyllida alloquitur et ei describit, quo modo diem festum imminens paret, ut puella *norit, quibus gaudiis advocetur* (vv. 13-14). Duabus strophis sequentibus (A2) occasio festi nominatur, dies natalis Maecenatis amici. Adiunguntur tres strophae (B1), quae ad amorem Telephi, quo Phyllis ardet, pertinent. Puella autem Telepho par non est, quia is superiorem locum tenet. Ita factum est, ut ab alia quadam puella divite Telephus occupatus sit. Propterea poeta Phyllida exemplis fabulosis Phaethontis et Bellerophontae usus monet, ut se digna sequatur et amantem disparem vitet. Horatius certe iam aetate proventus Phyllidi par non est. Propterea sperare non potest eam se redamaturam esse. Tamen puellam valde amat vel potius diligit. *Finem enim amorum suorum* eam appellat. In ultima stropha (B2) affirmat se amore alterius feminae non arsurum esse. Contentus est, quia puellam suam facere nequit, eam exhortari, ut *modos* discat, quos *amanda voce* reddat. Id poeta toto corde desiderat, quia, ut dicit, *carmine minuentur atrae curae*. Certe curae sunt, quae Horatio morte imminente iniciuntur. Videmus igitur poetam modum classicum servantem se animi gaudio continere, quo afficiatur, cum sonum a Phyllidis amanda voce redditum auscultet. Ita Horati ardor in arte tandem quiescit.

Carminis dispositio concinnitate classica excellit. Prima pars (A1) trium stropharum, secunda (A2) duarum, tertia (B1), ut prima, trium, cum ultima (B2) unius strophae sit. Partes subtiliter una cum alia coniunguntur. Nam prima etiam initium secundae (vv. 13-14a) comprehendit. Quarta pars iam a versus continuatione, vulgo enjambement dicta, quae in fine paenultima strophae invenitur, incipit. Ibi enim legimus *age iam, meorum | finis amorum*, ubi verba *finis amorum* versum novum efficiunt, quo haec stropha finitur.

Adnotationes:

- 1) Porphyrio sic recte explicat versus 10-12: „... hoc Veneri, inquit“, scilicet Horatius, „placuit, ut, quae amantur, non consentiant amatoribus, sed in alios ipsae amores declinent.“

- 2) Ita iam antea Catullus in carmine 109^o sensit.
- 3) Cf. exempli gratia V. Pöschl, Horace et l'élégie, in libro L'Élégie Romaine. Actes du Colloque. Sous la direction de A. Thill. Paris 1980, p. 158, et eundem, Horazische Liebeslyrik, in libro Antike Tradition und Neuere Philologien. Symposium zu Ehren des 75. Geburtstages von R. Stühnel, edito a H.-J. Zimmermann, Heidelberg 1984, p. 24.
- 4) Id contra Poiss dicendum est, qui negat Horatium hic verum animi affectum exprimere. Cf. Th. P., Wiener Studien 114, 2001, p. 261.
- 5) West concludit e precibus strophae alterius, ut Cupido et Gratiae adsint, Horatium maxime velle Glyceram se ardentem redamare. Sed puella eum iam amat. Ipsa enim Venerem vocat, ut veniat. Cupido, Gratiae, Nymphae invitantur, ut festum amoris omnibus numeris absolutum sit. Cf. D. West, Horace. Odes I, Oxford 1955, p. 144. Idem, quod contra West, etiam contra Schmidt dicendum est. Cf. E. A. Schmidt, Zeit und Form. Dichtungen des Horaz. Heidelberg 2002, p. 220. Aequiperans Glyceram cum Venere et Mercurium cum Horatio Schmidt (p. 222) carmen ex arbitrio interpretatur.
- 6) Antonii La Penna sententia, cui adsentior, nomen Latinum, non Graecum, Ligurini potest esse nomen verum pueri veri, non ficti. Cf. A. L. P., Orazio. Le Opere. Antologia. Firenze 1970, p. 439.
- 7) Becker perperam credit Horatium sine spe, sed vere Ligurinum petere. Cf. C. B., Das Spätwerk des Horaz, Göttingen 1963, p. 165. Contra Maurach comprehendit poetam desperare se a puero redamari, id est, somnia sua ad effectum perducere posse. Cf. G. Maurach, Horaz, Heidelberg 2001, p. 410.
- 8) Optimo stilo Latino Fridericus Guillelmus Doering in editione sua Horati, Lipsiae anno 1829^o edita (p. 318), carmen decimum libri quarti breviter comprehendit his verbis: „Ligurinum, puerum mollem et delicatum, superbe et fastidiose nunc amatores tractantem, de formae sortisque, quae eum maneat, mutatione et conditione cogitare, et proinde vanam illam, qua insolenter de forma sua se efferat, deponere iubet superbiam.“
- 9) Fraenkel recte observat laudem Pauli Maximi aliis argumentis circumdari. Cf. E. F., Horace, Oxford 1959, p. 413.

Scrpsit GODO LIEBERG

Bemerkungen zu W. Schindlers Interpretation von Martial I 62 – oder: Was Übersetzungen verraten können.

In genauer, phantasievoller und einfühlsamer¹ Interpretation hat W. SCHINDLER in dieser Zeitschrift den Gedankengang des Martial-Epigrammes I 62 nachgezeichnet und damit am Einzelfall überzeugend SULLIVANS Urteil über den Dichter (Martial sei pathologisch frauenfeindlich) widerlegt.

Drei kleine Beobachtungen scheinen mir angebracht, die Schindlers gegenüber Sullivan positivere Vorstellung von Martials Frauenbild stützen, seine Deutung des Epigramms insgesamt ergänzen bzw. modifizieren.

1. zu W ö r t e r n: Unbestreitbar scheint zu sein, dass die Verben, mit denen Laevinas „Beschäftigungen“ (22 l. Sp.) zunächst beschrieben werden, verhältnismäßig wenig aktiv besetzt sind (*se permittit*²; *fovetur*; *incidit in ...*³; auch wohl noch *secuta*⁴). Vielleicht sollte Schindler darum nicht so nachdrücklich von Laevinas „Aktionen“ (22 l. Sp.) oder „Aktivitäten“ (r. Sp) sprechen, auch nicht von „der Zielstrebigkeit, mit der sie das Heft sofort in die Hand nimmt ...“ (22 r. Sp.), oder davon, dass „Laevina ihre Verwandlung durch ein Liebesabenteuer bewusst

herbeizuführen“ scheint (22 r. Sp.), dass „ein Schuldgefühl, Fragen nach Gut und Böse ... bei der resoluten Dame gar nicht erst aufzukommen (scheinen), die sogar ihr Verliebtsein zu planen und zu steuern vermag“, dass „ihre Tugend bloße Maske war“ (23, l. Sp.). Dann bräuchte er später nicht die „insgeheime Anerkennung (sc. Martials) für die Entschlossenheit, mit der sich die Dame kurzer Hand früherer Zwänge entledigt und die Rolle der ... Helena überstreift“ (23 r. Sp.) zu strapazieren⁵.

Dies alles mag man interpretierend unterstellen, aber Martial s a g t dies nicht, deutet solches Verständnis des Gedichts eigentlich nicht einmal an! Eher lässt die Verbenwahl vermuten, dass hier etwas mit Laevina geschieht, harmlos beginnend und scheinbar unaufhaltsam (vgl. unten zum Satzbau). Dieses mit Ironie verfolgte Geschehen hat insbesondere mit Gepflogenheiten und Möglichkeiten in den damaligen Modebädern zu tun: nicht umsonst stehen die drei in gesteigerter Wortzahl⁶ gebotenen Ortsnamen im Zentrum des gesamten Textes. Sie bilden gewissermaßen den Katalysator, über den sich das eine Urbild (*casta*